



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. XXIX. De S. Carolo Borromaeo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

filia amplæ dotationis suffocavit matrem deuotæ religionis. Addit autem præ ceteris stetisse & perseuerasse Carthusienses ob studium solitudinis & silentij ac ob strenuam obseruantiam visitationum; inde hæc tria carmine complexus ait:

*Per tria, si, so, vi, Carthusia permanet in vi.*

id est, per silentium, solitudinem, & visitationem perseuerat in vigore: nam quoties inter homines fui, minor homo redij, inquit alter. Quæ idcirco solum dixerim vt pateat etiam solitarios & quasi exteriùs otiosos ordines, magnum in Eccle siâ fructum proferre.

---

C A P. XXIX.

*De S. Carolo Borromæo.*

**A**B Oriente pedem retraho & ad Occidentem nobis magis notum festinus me conuerto.

*Italiam Italiam letus conclamat Achates.*

en ecce pergo, ibique magnum illum, immò maximum Carolum

*(Ecce nequit magnus, Maximus ergo fiet.)*

contra pestem si quis alius inuocandum Tutelarem patronum reperiam, salutabo & inuocabo. Et ô! mihi Carole salue,

*Carole pestifera certa medela luis.*

*Illa etenim Latias quandam vitiauerat auras*

*Labentes rapiens populos, totasq; per vrbes*

*Publica pestifera cernebas funera stragis:*

*Qualis Erichthonios pestis populata colonos*

Ad imitationem  
Manilij  
lib. 1.

Ex.

*Extulit antiquas per funera pacis Athenas  
 Alter in alterius labens cum fata ruebant.  
 Nec locus artis erat medicæ nec vota valebant.  
 Cesserat officium morbis & funera deerant  
 Mortibus & lacrymæ; fessus defecerat ignis;  
 Et tamen ardebat nihilominus omnia vastans,  
 Et coaceruatis ardebant corpora membris.  
 Heu Mediolani hac tragædia cernebatur!*

Sed quid tum noster Carolus? num instar mercenarij lupum videntis & oues decipientem cernentis aufugit? absit vel in minimo à tam sedulo & sollicito pastore quem Pastorum & Episcoporum omnium exemplar, absque æmulorum inuidia, meliorum cum pace, nominare mihi fas sit. Audi quid eius vita ex diplomate Canonizationis eiusdem cui fraus nulla subesse, nullum mendacium potest, commemoret. Cùm verò pestilentiam in ciuitatem Mediolanensem & dioecesim Dominus immisisset & gregem sibi commissum bonus pastor miserabiliter affligi cerneret, vt egenorum calamitati temporalibus etiam auxilijs prospiceret, vel argentea vasa, stragulam, aliamq; vestem, ostiorum vela, proprij denique lectuli solatium dedit, qui iam antea Uritanum principatum (nobilissimo siquidem stemmate ortus erat, patre Giberto Comite, matre Margareta Medicæa sorore Pij Quarti Pontificis Romani) reliquum patrimonij sui 40. millium scutorum pretio quamuis vili inde percepto diuenderat, & pijsimas in causas paucissimis horis distribuerat, vt verè de eo liceat dicere: Et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. Neque hîc constitit feruens viri sancti erga proximos suos dilectio, sed æmulando charismata meliora ad eam caritatem peruenit qua maiorem neminem habere Dominus ipse pronuntiauit. Quasi enim  
 paru m

Vide Pa-  
lud. in  
officina  
spirit. ca.  
13.

parum iudicaret publicis supplicationibus nudipedali-  
bus, in quibus ipse fune è collo vtrimque pendente (vi-  
dete pallium Archiepiscopale) Crucifixi imaginem ma-  
gni ponderis trabem ( ecce pedum Antistitis & Cardi-  
nalis) proprijs humeris flagitiosi rei ad instar gestauit,  
verbo & opere ( nam orandi regulas hoc calamitoso  
tempore Mediolanensibus præscripsit, & conciones fre-  
quentes sumpto illo ex Hieremia themate; *Quomodo  
sedet sola ciuitas plena populo*, de suggestu ad populum  
habuit) inducere Clerum & populum ad diuinam auer-  
tendam vindictam & ad poenitentiam prouocare aliaq;  
multa in commune consulendo sollicitè ordinare pro  
munere pastorali: cernens id etiam animarum saluti &  
gregis necessitatibus in Domino expedire, dispositis re-  
bus suis & selectis nonnullis adiutoribus, infirmos tam  
ciuitatis quàm diocesis, cuiuscumque ordinis die no-  
cteque visitando spiritualia & temporalia ministrabat,  
defunctos sepeliri, infantes orphanos nutriri, ac sua  
quemque onera publicè demandata diligenter ac fideli-  
ter administrare curabat. Non pauperum valetudinaria,  
non humiles casas (ò humilem magni præsulis animū!)  
inuisas dimisit: non ad mortuorum cadauera (ò viuam &  
ardentem tanti Cardinalis caritatem!) accedere veritus  
est, vt viuentem miserabiliter inter mortuos infantem  
ab vberibus defunctæ matris ( audite audite & obstu-  
pescite, sed magis imitamini quibus animarum cura de-  
mandata est ) eriperet, & sic agendo boni pastoris ex-  
pleret officium, qui animam suam ponit pro ouibus  
suis. Certè officium expleuit & animam suam posuit  
quam mille mortibus pro subditis suis quotidie ex-  
posuit, vt cum Apostolo dicere potuerit: *Quotidie  
2. Cor. 15 morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu  
Domino nostro.*

Quis

Quis mihi hic det dictionē materiæ parem, vt in illum sacratum & gloriosum verticem omnes omnium præconiorum lauros possim dignè congerere? Sed à nobiliori & aliori manu pro tantis meritis dignam mercedem accepit, qui humanam semper fastidiuit S. Carolus, ab eo nempe qui dixit Abrahæ: Ego ero merces tua magna nimis. quod si quis perfectum veri Episcopi exemplar desideret, intueatur hunc Carolum, & in eo inueniet quidquid in & ab Episcopo requirit Apostolus Paulus, & Bernardus in libro ad Eugenium. Cùm enim delicatè esset enutritus contenderetque ad insignem sanctimoniam, cœpit se in paruis mortificare, faciles pœnitentias suscipere, singularum virtutum faciles actus obire. Deinde quotidie vlteriùs ad grauiiores & difficiliore progrediebatur, habebatque hoc fixum animo, Non cessare, non sistere; sed quotidie progredi donec summum virtutis culmen attingeret; verbi gratiâ, vna septimana abstinebat vino, alia carne, tertia pisce, quarta ouis, &c. itaque eò tandem peruenit vt vltimis vitæ annis quotidie solo pane & aqua viueret exceptis festis, quibus aliquid obsonij addebat, non tamen carnem, nec piscem, neq̄ oua, nec vinum; his enim semper abstinebat: in quadragesima etiam pane, tantumque ficibus & fabis viuēbat. In hebdomada sancta non nisi lupinis (genus est pisorum amarorum) victiabat. Lectus eius erat faccus stramineus aut sedes: aiebat enim Episcopum super gregem vigilare debere, ac proinde parcè & sedentem dormire vt faciunt strenui duces in bello. Cilicio duro utebatur quod etiamnum seruant Mediolanenses: rudi disciplina corpus castigabat: labores continuos & maximos iugiter capebat. Dicebat enim animi generosi, & inuicti esse semper maiora aggredi

August.  
Valerius  
Episcop.  
Veron.  
in vita.

Vide Cor  
nel. à La-  
pid. in c.  
15. Exod.

& in vita spirituali magnis passibus semper progredi:  
Sicut enim mercatores intenti lucro, eidem quotidie ali-  
quid adjiciunt, & sicuti hortulani quotidie hortum exco-  
lunt, pictores quotidie imaginem quam pingunt, expo-  
liant & perficiunt: ita multò magis quotidie virtuti ali-  
quid adjicere debet, qui eius est studiosus. Ita fecit ipse  
donec eò perueniret vt vix vltèriùs quid superesset quo  
progredetur nisi vt diceret cum sancto Paulo: Cupio  
dissolui & esse cum Christo. Cùm verò ab Archiepiscopo  
Valentino moneretur vt sibi parceret neque nimijs la-  
boribus, & pœnitentijs vitam abbreviaret, ita rescripsit:  
Quòd si etiam dum Ecclesiæ pro qua Christus acerbis-  
simam mortem pertulit, opera nauatur, virium quas de-  
bilitari, vitæ quam interire necesse est, iactura fiat, id ve-  
rò maximi lucri atque emolumentum loco ponendum est.  
Nimis delicati hominis, nedum Episcopi est, à muneris  
sui quo nullum amplius, nullum præstantius est, admini-  
stratione & cura, aut valetudinis studio retardari, aut  
mòrtis formidine deterreri. Tandem non ætate (nam  
48. solum erat annorum) sed laboribus, & continuis durè  
pœnitentiæ operibus exhaustus, spiritum Deo reddidit  
anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto Me-  
diolani, cùm priùs quasi discessuri sese comparans Varalli  
montis Nouariensis diocesis, religiosas passionis Christi  
memorias adijisset, ibique vniuersos annos suos recogita-  
tando generali confessione culpas diluisset, & cum ama-  
ritudine animæ suæ quindecim dies in oratione, jejunijs,  
vigilijs alijsque corporis afflictionibus exegisset. Inscr-  
iptus est Sanctorum Catalogo à Paulo Quinto, anno  
1610.

alij 47.

Est verò quod Brabantia nostra sibi gratuletur, ac de  
eius patrocinio singulariter confidat, vtpote quæ sacram  
eius

eius Episcopalem dalmaticam, & pretiosum eius sanguinem ex exenterato corpore spongia exceptum in primaria sua vrbe Louanio, in æde S. Petri meretur afferuare, ad quã anno millesimo sexcentesimo vigesimo, ex arce Louaniensi procurante Clarissimo Viro Frycio Puteano, magnifica pompa cum vniuerso Clero sunt delatę hæ venerandę reliquię miraculis ibidem coruscantes; quas auro & gemmis omnibus pretiosiores, non semel indignus merui aspicere & exosculari. Festum colitur 4 Nouembris, quod in eadem Louaniensi collegiata Ecclesia solemne est. Epitaphium eius hoc visitur Mediolani, humile sanè & ab omni magnificentia alienum.

*Carolus Card. Borromæus*

*Tituli S. Praxedis, Archiepiscopus Mediolani*

*frequentioribus Cleri populique*

*Ac deuoti feminei sexus precibus se*

*commendatum cupiens*

*hoc loco sibi monumentum viuens*

*elegit.*

*Vixit ann. XLVI. M. I. D. I.*

*Præfuit Ecclesię Mediolanensi ann. XXIV.*

*Mens. VIII. D. XXIV.*

*Obijt III. Non. Nouemb. an. M. D. LXXXIV.*

*Humilitas.*

Frane.  
Sveert.  
in Deli-  
tiis orbis  
Christ.

X 2

Porro

Porro de sæuissima illa mortalitate non tantum Mediolani sed per totam Italiam grassante, ita Michael ab Isselt in historia sui temporis ad annum millesimum quingentesimum septuagesimum quintum: In multis Italiae ciuitatibus dira & contagiosa pestis grassabatur, quæ Tridentum, Mediolanum & Venetias grauius quàm alias ciuitates depopulata est. Mediolanensibus refrigerio fuit sanctissimus ille Cardinalis, cuius laus æternum uiuet, Carolus Borromæus, vrbis illius Archiepiscopus, qui nec opibus nec facultatibus nec propriæ personæ pepercit vt miserrimo populo opitularetur. Non veritus pro salute suorum quotidie; immò singulis momentis eos visitando eisque proprijs manibus ministrando, vitam suam manifestissimo grauiissimoque periculo exponere. Venetijs infinitam hominum multitudinem lues ista consumpsit: adeò vt Sacerdotes & Religiosi ad morientes Sacramētis procurandos non sufficerent. Ludouicus Mozenigus ea tempestate Venetorum Dux omnia humana diuināque remedia adhibuit vt pestiferum hunc morbum fugaret. Votum etiam Deo nuncupauit se templum in honorem Seruatoris ædificaturum si diuina eius maiestas vrbem hanc à tam horribili contagione liberaret. Non multos post dies morbus hic coepit minui, & paulò post omnino conquieuit. Tridenti maior pars hominum obiit: Multæ interim ciuitates Italiae singulari beneficio Dei immunes ab hac lue fuerunt, & quidem potissimum Roma vbi tanta tunc hominum vndique venientium erat frequentia. ita ab Isselt. Qui & de grauiissima peste anni sequentis, nempe 1576. stupenda refert, sicut & Natalis Comes, quando etiam litteras mittere fuit interdictum per totam Italiam, nisi ad solum Pontificem, easque non nisi cera & lineis vinculis obsignatas, quò sic omnis contagio sollicitius euitaretur, non iam antè, Patauium, Veronam,



nam, Brixiam, Ticinum, Vincentiam, Apuliam denique totam, Calabriam & Siciliam depopulata erat, vastamque pænè & habitatoribus vacuum reddiderat, adedè vt in vna Sicilia Messana ad sexaginta hominum millia fustulerit. Qua exportationis importationisque denegatione tandem factum est vt multis in locis & præcipuè Mediolani, summa esset rerum omnium penuria & fames durissima, adedè vt nisi Caroli Borromæi liberalitate, qui omnia sua in hac necessitate profudit, Parmensiumque bonitate, Mediolanenses adiuti fuissent, fame interijssent pænè omnes. Certè qui in terris adhuc positus in tantum viscera misericordiæ suis subditis aperuit: iam in cœlis constitutus augmentata caritate clientibus suis benignus aderit si deuota mente opem eius implorare non cessauerint.

## C A P. XXX.

*Appendix ad præcedens caput, de Martino  
Rythouio.*

**E**Undem animarum zelum quem Borromæus, & eandem pastorem sollicitudinem in eadem contagiosa lue erga oues suas eodem pænè tempore in eadem Episcopali functione exhibuit, magnæ & piæ memoriæ Martinus Rythouius primus Iprensium Episcopus & Campaniæ nostræ Brabantinæ licidissimum fidus; quem per modum appendicis sacro huic Choro adjicio quòd non sit Sanctorum numero inscriptus publica Romani Pontificis testificatione. Gratissimam autem rem